

/ Dilecto filio nostro Roberto tituli Sanctae Mariae in Via,  
Praesbytero Cardinali Bellarmino nuncupato. Paulus Papa V. Dilecte  
Fili noster salutem, et apostolicam benedictionem.

1) Cum per obitum bonae memoriae Inici episcopi Portuensis,  
5 Cardinalis de Aragona nuncupati congregationis Coelestinorum dum  
vixit apud Romanum Pontificem et Apostolicam Sedem, Protectoris du-  
dum apud Sedem Apostolicam defuncti, Congregatio praedicta Protec-  
tore destituta remanserit

2) Nos eidem Congregationi de idoneo Protectore providere volentes,  
10 ac de tuae circumspectionis singulari prudentia, doctrina, integri-  
tate, ac religionis zelo plurimum in Domino confisi, ac dilectorum  
filiorum Generalis, et aliorum superiorum dictae congregationis no-  
mine perfectis nobis supplicationibus inclinati.

3) Te, ex cuius protectione ob tuas eximias virtutes congregatio-  
15 nem praedictam plurimum commodi et ornamenti suscepturam esse con-  
fidimus, praedictae congregationis illiusque monasteriorum, et re-  
ligiosorum quorumcumque apud nos, et Apostolicam Sedem Protectorem,  
cum omnibus facultatibus, iurisdictionibus, honoribus et oneribus  
solitis et consuetis, et quibus alii ante te dictae congregationis  
20 Protectores usi sunt, et uti quomodolibet potuerunt, seu etiam de-  
buerunt, ad tui vitam Apostolica auctoritate tenore praesentium f  
facimus et deputamus.

4) Volumus autem, ac tibi in virtute sanctae obedientiae mandamus  
ut superiorum dictae congregationis auctoritatem, quantum fieri po-  
25 tuerit, conservare cures, et propterea cum ipsi superiores eorum  
officii debito satisfecerint, ac gubernio, et regimini subditorum  
sufficienter incubuerint, tam in negotiis eorundem religiosorum te  
non immisceas, quando autem vel ab ipsis superioribus requisitus  
fueris, ut in eisdem negotiis auctoritatem tuam interponas, vel  
30 necesse fore cognoveris, ut eandem auctoritatem tuam in eisdem ne-  
gotiis exerceas, tunc id libere facere possis, sed quoad poteris

/ gotiis exerceas, tunc id libere facere possis, sed quoad poteris per te ipsum facere cures, adhibito ad scribendum quando opus fuerit in eisdem negotiis, seu causis loco notarii aliquo ex religiosis eiusdem congregationis.

5) Mandantes propterea praedictis Generali, et aliis superioribus, nec non universis religiosis et personis quibuscumque dictae congregationis in virtute sanctae obedientiae, ut te in eorum Protectorem iuxta tenorem praesentium recipientes, ea qua debent reverentia prosequantur.

10) 6) Contrariis non obstantibus quibuscumque.

7) Caeterum te in Domino hortamur ut tui Protectoris munus ita obire studeas, ut apud Deum bonorum operum retributorem aeternorum praemium et a nobis condignam laudem valeas promereri.

8) Datum Romae, apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris Die ij

15) Martii 1606. Pontificatus nostri Anno primo.

---

(Ex copia simplici apud me existente)

---

ZANOTTO Lud. Digestum scripturarum Coelestine Congregationis, iuxta temporum seriem collectarum, ab anno 1600 usque ad annum 1670.

Tom. VI, c. 27<sup>a</sup>-28<sup>a</sup> ( Ms. conservato nella biblioteca del Dr. Prof.

10) Giovanni Pansa, in Sulmone.)